

campanæ, nec aliquid aliud vero conventui congruens.

(14. Gravis autem est quæstio, an in erectione Hospitii requirantur illæ ipsæ solemnitates requisitæ in erectione conventus, de quibus verba fecimus in additione ad verbum *Conventus*, artic. 1.

(15. Negant communiter Cesp. de Exempt. Regul. c. 1, dub. 6, num. 1; Tamburin. de Jure abbat. t. V, disput. 5, qu. 1, n. 10; Nov. in Summ. Bullar. part. 1, comment. 92, n. 4; Donat. in Prax. rer. regul. tom. I, part. II, tract. 1, de Monaster. ædif. quæst. 22, n. 1 et seq.

(16. At recte Rota in dict. Eysteten. Fundationis Hospitii 1729, § 16, cor. bon. mem. Ratto inter impressas dec. 258, n. 24. « Con-

HYDROMANTIA.

Vide verbo SUPERSTITIO, n. 17.

HYPOTHECA, PIGNUS.

SUMMARIUM.

1. Hypotheca et Pignus large conveniunt. — 2. Strictè autem et propriè differunt, et assignatur differentia. — 3. Quoad effectum tamen hypotheca et pignus non differunt. — 4. Pignus dupliciter potest sumi, scilicet pro re ipsa oppignorata, et pro ipso contractu pignoratitio. — 5. Datur definitio Pignoris late sumpti et similiter Hypothecæ. — 6. Pignus seu Hypotheca alia est expressa et alia tacita, et quæ sit utraque? — 7. Pignus, seu Hypotheca expressa alia est generalis, et alia specialis, et quæ sit utraque? — 8. Hypothecæ tacitæ seu legalis varia habentur in jure exempla. — 9. Uxor ratione dotis habet tacitam hypothecam in cunctis bonis mariti, etiam in casu quo maritus ob delictum privari debeat bonis. — 10. Etiam maritus habet e contra tacitam hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa sibi præstanda. — 11. Liberi prioris matrimonii habent tacitam Hypothecam in bonis parentis ad secundas nuptias transeuntis. — 12. Pupilli et minores habent tacitam Hypothecam in cunctis bonis tutorum, et curatorum. — 13. Tacitam Hypothecam habet pupillus in rebus ex ipsis pecuniis emptis. — 14. Ecclesiæ, collegia aliæque causæ piæ habent tacitam Hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris rerum ad similes piæ causæ pertinentium. — 15. Tacitam Hypothecam habent legatarii et fideicommissarii in bonis a testatore relictis. — 16. Qui mutuas dat pecunias pro reficiendo ædificio, habet tacitam Hypothecam in ædificio suis pecuniis refecto. — 17. Venditor habet tacitam Hypothecam in re vendita, usque dum pretium ei plene sit solutum. — 18. Locator habet tacitam Hypothecam in omnibus a conductore in domum, vel prædium illatis, et in vectis, non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatæ. — 19. Tacitam Hypothecam habet fiseus in bonis contrahentium cum eo, et in bonis suorum officiorum, et administratorum. — 20. Hypothecare, et oppignorare possunt omnes illi, qui rerum suarum administrationem habent. — 21. Tutor et curator possunt oppignorare, et hypothecare res minorum et pupillorum pro eorumdem utilitate. — 22. Oppignorare et hypothecare etiam potest procurator, vel negotiorum gestor si ad hoc speciale mandatum habet, vel si habet mandatum generale cum libera potestate. — 23. Prælati ecclesiarum generaliter, non item specialiter hypothecare possunt res Ecclesiæ. — 24. Regulares possunt hypothecare Hypotheca generali bona suorum monasteriorum. — 25. Rectores

clusio (ait) quod in fundatione simplicis Hospitii non requirantur solemnitates constitutionibus apostolicis præscriptæ, ad summum procedere potest quando concurrant prædicta requisita pro erectione simplicis hospitii, quibus terminis loquuntur auctoritates in objecto allegatæ; secus vero quando in hujusmodi locis religiosis adest ecclesia publica, pulsantur campanæ, atque administrantur sacramenta, quia tunc discrepantia eorumdem locorum a cæteris monasteriis consistit duntaxat in palliato nomine hospitii, et propterea si erigi possent absque debitis requisitis, apostolicæ constitutiones certam edicentes formam in constructione monasteriorum servandam remanerent elusoriæ.»

ecclesiarum possunt hypothecare Hypotheca generali bona Ecclesiæ etiam sine licentia episcopi. — 26. Res omnes, quæ emi, et vendi possunt, etiam oppignorari et hypothecari possunt. — 27. Et sic e contra res, quæ emi et vendi nequeunt, hypothecari, seu oppignorari etiam non possunt. — 28. Creditor pignus habens potest illud alteri oppignorare. — 29. Creditor inscio et invito debitore non potest uti pignore, et si utatur, furtum committit, et furti tenetur. — 30. Creditor potest fructus percipere ex pignore, sed dein in sortem computare debet. — 31. Imo creditor restituere debet etiam fructus, quos ex pignore percipere potuisset, et sua culpa non percepit. — 32. Antichryseum pactum quid sit. — 33. Est illicitum, et usurarium. — 34. Legis commissoriæ pactum quid sit. — 35. Est illicitum et usurarium. — 36. Licitum est sequens pactum, si intra præfixum tempus solutio facta non fuerit, tunc Pignus sit creditor venditum justo pretio. — 37. Sic etiam licitum est istud, ut si debitor in mora solvendi sit, possit creditor Pignus statim vendere, et reliquum de recepto pretio restituere ipsi debitori. — 38. In utroque dicto casu non est opus, ut creditor debitorem de solutione prius moneat. — 39. Si oppignoratio facta est sine ullo pacto de vendendo, vel non, tunc potest quidem creditor pignus vendere; sed prius præmissa una saltem monitione, et expectato ex post biennio, antequam vendat. — 40. Si oppignoratio facta sit cum pacto ne vendatur, vendi nihilominus potest post biennium, sed non nisi trina monitione de solvendo prius præmissa. — 41. Creditor pignus vendens non potest illud sibi ipsi emere, ne quidem per interpositam personam, nisi de licentia iudicis, etc. — 42. Creditori hypothecario competit jus prælationis præ creditoribus non specialiter privilegiatis. Si autem eadem res fuerit pluribus oppignorata, potior est in jure, qui prior est in tempore. — 43. Nec refert, an prior creditor habeat Hypothecam specialem vel generalem. — 44. In pignore eodem tempore pluribus constituto præcedit ille, qui pignus possidet, et si nullus possidet æquali jure utuntur. — 45. Creditor tenetur pignus sibi traditum exacta diligentia tueri, et conservare, aliter tenetur resarcire damna ejus culpa lata, vel levi pignori illata. — 46. Creditor debito sibi soluto tenetur pignus restituere. — 47. Imo una cum pignore tenetur creditor restituere etiam omnes fructus ex pignore perceptos. — 48. Potest tamen Creditor detrahere expensas, quas fecit in tuendo, custodiendo et meliorando pignore.

— 49. Hypotheca vel expressa vel tacita. — 50. 54. Ob præsumptam voluntatem partium datur Hypotheca tacita. — 55. 59. Datur ob præsumptam partium voluntatem locatori in iis quæ in prædium urba-

(1. Hypotheca et Pignus large loquendo, tam a doctoribus, quam a jure sæpe sæpius confunduntur, nulla nisi nominis distinctione inter utrumque admissa, leg. Res. 5, § 1, ff. de Pignoribus, et Hypothecis, ibi: «Inter Pignus autem et Hypothecam nominis tantum sonus differt.» Rota recent. part. IX, tom. I, dec. 179, num. 78. (2. Strictè autem, et propriè loquendo adest inter ipsa aliqua differentia, quæ potissimum consistit in hoc, quod Pignus proprie locum habet in rebus, quæ manu traduntur creditoribus, adeoque fere in mobilibus rebus tantum locum habet, quæ creditoribus tradi solent, unde a *pugno* appellatus est Pignus; leg. Plebs. 238, § Pignus, de verb. signific. ibi: «Pignus appellatum est a pugno, nam res, quæ pignori dantur, manu traduntur; unde etiam videre est, verum esse, quod quidam putant, Pignus proprie rei mobilis esse.» Hypotheca autem consistit fere tantum in rebus immobilibus, vel quæ non traduntur creditoribus, sed penes debitorem manent, obligatæ tamen creditoribus; adeoque Hypotheca nuda conventionione constituitur § *Item Serviana*, Institution. de action. ibi: «Inter Pignus, et Hypothecam differentia est, nam Pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione nuda conventionione tenetur, proprie Hypothecæ appellatione contineri dicimus;» Azor. part. III. Institut. moral., lib. VII, tract. de Pignoribus. cap. 2, q. 2; Pirhing lib. III Decret. tit. 21, num. 2, et alii passim. (3. Quoad effectum tamen Pignus, et Hypotheca non differunt, cum ex utroque eadem acquiratur creditori actio Hypothecaria, vi cujus ipse creditor rem oppignoratam, vel Hypothecatam, ubicunque existet, donec debitum solvatur, exigere potest; sicuti e contra debitor rem Pignori datam potest, soluto debito, iterum repetere; arg. § *Item Serviana*, Institut. de action. ibi: «Inter Pignus, et Hypothecam quantum ad actionem Hypothecariam nihil interest.»

(4. Pignus dupliciter potest sumi. Primo pro re ipsa oppignorata, seu quæ in pignus datur, ut patet ex totis ferme titulis, ff. et cod. de *Distract. pig.* (5. Secundo pro ipso

(60) Vel dic brevius secundum Huber Prælect. jur. Rom. lib. XX, tit. 1, Pignus, quod sit res obligata creditori in ejus securitatem. (EDIT. BARBIELL.)

(61) Pignus aliud est publicum, aliud privatum. Quid sit publicum pignus, ejusque distinctiones, vide apud Huber, loc. sup. cit. num. 2 et seq. Privatum autem distinguitur ut vel unius, vel duorum voluntate constituatur. Exemplum Pignoris, quod unius voluntate constituatur habes in leg. *Non est mirum* 26, ff. de Pignor. act., ubi testator metuens, ne post sui obitum heredes scripti a creditoribus invadantur, suaque bonæ voci acerbæ præconis subjiciantur, suum unicuique creditorum pignus aut hypothecam ascribit in testamento.

num sint illata. — 60. 65. Datur locatori in fructibus qui in prædio rustico nascuntur. — 64. 75. Quoties datur sola legis dispositione. — 74. 77. Nonnullæ animadversiones.

contractu pignoratitio, seu conventionione qua res alteri securitatis gratia datur, vel obligatur; leg. 1, § fin. ff. de Pactis. Pignus late sumptum est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam, ut sit pro debito obligato, et ex ea satisfieri possit, si aliter satisfactum non fuerit (60). Est in re communis. Similiter Hypotheca late sumpta est contractus, quo a debitore res aliqua obligationi subjicitur pro cautione debiti erga creditorem. Est in re communis. Hinc aperte patet finis Pignoris et Hypothecæ, nempe major securitas creditorum, seu eorum qui alios sibi obligatos habent: tutius enim Pignori, seu Hypothecæ incumbere, quam agere in personam, textu expresso in § *Unde constat*. 14, Institut. de obligat. quæ ex delicto, ibi: «Etiam si idoneum debitorem habeat, expedit pignori potius incumbere, quam in personam agere. Et plus cautionis in re est quam in persona.» Reg. 25 ff. de *reg. Jur.* (61).

(6. Pignus, seu Hypotheca alia est expressa, et alia tacita; expressa est quæ fit expressa partium conventionione de re oppignoranda, seu hypothecanda, et hæc Hypotheca expressa solet vocari conventionalis. Tacita est, quæ absque expressa partium conventionione a lege introducta est, atque subsistit absque omni consensu debitoris, imo etiam eo invito, et hæc Hypotheca solet vocari legalis, utpote a lege constituta. (7. Pignus, seu Hypotheca expressa alia est generalis, et alia specialis. Hypotheca generalis, seu universalis est qua quis obligat alteri securitatem debiti cuncta sua bona, et jura, leg. fin. cod. *Quæ res Pignori*, et leg. *Bonorum*, 49, ff. de verb. signific. Hypotheca specialis est, qua una, vel plures res in specie, aut individuo alteri in securitatem debiti obligantur; leg. *Quamvis constet*, 2, et l. *Quamvis eod.* 17. cod. de Pignoribus et Hypothec.

(8. Hypothecæ tacitæ, seu legalis varia habentur in jure exempla, quorum præcipua hic juvat adducere. (9. Primo, uxor habet tacitam hypothecam pro securitate dotis allatæ in omnibus bonis mariti: cap. *Ex litteris* 5, de Pignoribus, ibi: «Cum bona viri mulieri sint. pro dote tacite obligata, et cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem,» etc.; l. unic. cod. de rei Uxor.

Pignus, quod duorum voluntate constituatur rursus vel ex pacto fit, vel ex contractu. Ex pacto, quando per simplicem conventionem, universis, aut certis rebus creditori jus constituitur; per simplicem (inquam) conventionem; siquidem tam inter presentes, quam inter absentes, verbis aut scriptura valide constituitur; l. 4, et l. penult., ff. h. t. Ex contractu autem venit pignus, quando res creditori traditur in securitatem crediti, ita ut possessio transferatur, quem contractum esse realem pignoratitium intelleximus, tit. Institut., quib. mod. re contrah. oblig. Prima Pignoris species dicitur hypotheca, altera Pignus proprie dictum nuncupatur. Vide Huber loc. cit. (EDIT. BARBIELL.).

act. § *Fuerat* 29, instit. de actionibus. Et hæc tacita Hypotheca viget etiam in casu quo maritus ob delictum privari debeat bonis, « cum, ut expresse dicitur in cit. cap. *Ex litteris*, cum mulieribus, favor multus in recuperandis dotibus debeatur, et cautum sit in jure, quod propter maleficium viri mulier remanere non debeat indotata, » et de facto leg. 2, cod. nec Uxor pro Marito habeatur sic expresse: « Ob maritorum culpas uxores inquietari leges vetant. » Insuper habet uxor Hypothecam tacitam in bonis mariti pro securitate bonorum paraphernalium ab ipso marito administratorum communis arg. 1.; *Ubi* 29, c. de Jure dotium, et l. fin. cod. de Pact. convent. (10. Secundo etiam maritus vice versa habet tacitam Hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa sibi præstanda, textu expresse in l. *Unic.* § 1, cod. de rei Uxor. act. ibi. « Damus ex utroque latere Hypothecam, sive ex parte mariti pro restitutione dotis, sive ex parte mulieris pro ipsa dote præstanda. »

(11. Tertio, tacitam Hypothecam habent liberi prioris matrimonii in bonis tam patris, quam matris ad secundas nuptias transeuntis, ratione bonorum, quæ ad eos ex priori matrimonio pervenerunt: leg. *Hac edictali* 6, § 2, et leg. *Si quis prioris*, 8 § 4, cod. de secundis nuptiis. (12. Quarto, pupilli et minores habent tacitam Hypothecam in cunctis bonis tutorum, et curatorum; leg. *Pro officio* 10, cod. de administr. Tutor. vel Curator. (13. Quinto, tacitam hypothecam habet pupillus in rebus ex ipsius pecuniis emptis; l. *Idemque*, 7, ff. *Qui potiores in pignore*. (14. Sexto, ecclesiæ, collegia, aliæque causæ piæ habent tacitam hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris rerum ad similes pias causas pertinentium; ecclesiæ enim gaudent jure minoris; c. 1, et c. *Auditis*, 3, de in integrum restitutione, et sic tenet Glossa in cit. c. *Ex litteris* 4, de pignoribus, verb. *Obligata* et communis doctorum.

(15. Septimo, tacitam Hypothecam habent Legatarii et Fideicommissarii in bonis a testatore relictis, § 2 Instit. de Legat. et l. 1 *Communia*, de Legatis. (16. Octavo, qui mutuas dat pecunias pro relicto ædificio, habet tacitam Hypothecam in ædificio suis pecuniis relecto; leg. 1, ff. *In quibus causis pignus tacite*, et eandem Hypothecam habet in re, ad quam emendam, vel conservandam pecunias mutuas dedit; l. *Qui navem*, 26, et l. *Quod quis*, 36, ff. de Reb. auct. Jud. poses. (17. Nono, venditor habet tacitam Hypothecam in re vendita usque dum pretium ei plene sit solum: leg. *Julianus* 13, § 7, ff. de Actionibus empti; leg. *Quod si* 31, § 8, ff. de Edilit. edict. et l. *Hæredit. vendit.* (18. Decimo, locator habet tacitam Hypothecam in omnibus a conductore in domum, vel prædium illatis, et investis, non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatæ; l. 2, ff. In quibus causis pignus; et concordat leg. *Eo jure* 4, ff. eod. (19. Undecimo, tacitam Hypothecam habet fiscus in bonis contrahentium cum eo, vel conducen-

tium quid ab eo, et in bonis suorum officiariorum et administratorum; l. 1 et 2, cod. In quibus causis pignus tacite, et l. *Aufertur*, 46, ff. de Jure Fisci, ibi: « Fiscus semper habet jus pignoris. »

(20. Hypothecare, et oppignorare possunt omnes illi, qui rerum suarum liberam administrationem habent, leg. 2 et 6, ff. *Si res aliena pignori*. (21. Item tutor et curator, possunt oppignorare et hypothecare res minorum, et pupillorum pro eorumdem utilitate; leg. 3, cod. *Si aliena res*; leg. *Tutor* 16, ff. de pignor. act. (22. Oppignorare, et hypothecare, etiam potest procurator, vel negotiorum gestor si ad hoc speciale mandatum habet; l. *Solutum*, 11 fin., ff. de Pign. action. vel si habet mandatum generale cum libera potestate, cit. leg. *Solutum*, et l. *Procurator cui* 58, ff. de Procur. (23. Prælati et Rectores Ecclesiarum, quamvis non possint absque Juris solemnitate res Ecclesiasticas alienare, prohibitas hypothecari Hypotheca speciali, ut expresse habetur in c. *Nulli*, 5, de rebus Eccl. non alienand. ibi: « Neque specialis Hypothecæ titulo obligari; » possunt tamen absque juris solemnitate talia bona Ecclesiæ pro ejusdem, non item pro propria utilitate hypothecare Hypotheca generali, arg. a sensu contrario desumpto ex cit. cap. *Nulli* 5, de rebus Eccl. non alienand. Hoc enim ipso, quod ibidem prohibetur sola Hypotheca specialis, ut patet ex adductis verbis, concessa censetur Hypotheca generalis, ut recte argumentantur, et tenent Abbas in d. cap. *Nulli*, n. 3, Joan. Andr. ibid., num. 1, et cum aliis Fagn. ibid. num. 30 et seq. Covarruv. variar. Resolut. cap. 16, n. 7; Molina disp. 466, n. 1; Layman lib. III, tract. 4, cap. 10, num. 2; Azor par. III, lib. VII, cap. 5, quæst. 4; Piringh. lib. III, decretal., tit. 13, n. 5 et tit. 21, num. 16; Reiffenstuel ibid. num. 34, et ratio est, quia per hypothecam generalem non ita facile deveniri potest ad alienationem, seu venditionem rei generaliter solum obligatæ seu hypothecatæ sicuti per hypothecam specialem, per quam plus juris transfertur in creditorem cum periculo eam alienandi. Et hanc sententiam testatur Fagnanus, in cit. cap. *Nulli* 5, de rebus Eccl. alienand. vel non num. 32, probasse suo tempore sacram congregationem Concilii in contractibus regularium. (24. Nam proposito dubio, an in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis comprehendatur generalis Hypotheca, sacra congregatio censuit non comprehendendi, et tamen prohibitio illa fuit concepta iisdem verbis, quibus utitur Paulus II, in Extravag. *Ambitiosæ*. (25. Hæc ille, qui ex multis probat hypothecam generalem bonorum Ecclesiæ in casu permissio posse fieri a rectoribus ecclesiarum etiam sine licentia episcopi. Vide verb. *Alienatio*, art. 4, n. 35 et 36.

(26. Res omnes, quæ emi et vendi possunt, etiam hypothecari, seu oppignorari possunt; leg. *Sic, et quod* 9, ff. de Pignoribus, ibi: « Quod emptionem, venditionemque recipit, etiam Pignorationem recipere potest. » (27. Et sic contra res quæ emi, et

vendi nequeunt, hypothecari, seu oppignorari etiam non possunt; l. 1, § 2, ff. Quæ res Pignori. Res aliena hypothecari seu oppignorari non potest absolute, l. 6, cod., *si aliena res*, ibi: « Per alium rem alienam invito domino pignori obligari non posse certissimum est. » Potest tamen res aliena oppignorari, seu hypothecari conditionate, nempe sub conditione, *Si acquisivero*; leg. *Si fundus*, § 7, de pignoribus, ibi: « Aliena res utiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit. » (28. Creditor pignus habens potest illud alteri oppignorare, l. 1, cod. *Si pignus pignori datum*. (29. Creditor in seipso, et invito debitore non potest uti pignore, et si utatur, furtum committit, actioneque furti conveniri potest, pro quanto æstimatur usus illius habitus; leg. *Qui jumenta* 40, l. *Si pignore*, 54, ff. de Furtis, ibi: « *Si Pignore creditor utitur, furti tenetur*. » (30. Fructus ex pignore percipere potest creditor, sed dein debet in sortem computare; ita ut tantum minuatur de debito, quantum percipit de fructibus ex pignore; imo totum debitum extinguatur, pignusque restitui debeat, statim ac fructus percipit dotum debitum exquant et insuper si fructus percipit superent debitum, debet restitui cum pignore etiam excessus fructuum perceptorum, textu expresse in leg. 1, cod. de Pignor. Action. ibi: « Ex Pignore percipit fructus imputantur in debitum, qui si sufficiant ad totum debitum, solvitur actio, et redditur pignus, si debitum excedunt, qui supererunt, et redduntur, » et cap. *Cum contra* 6, de Pignoribus, ibi: « Cum secundum canonicas sanctiones fructus restitui, et in sortem debeant computari. »

(31. Imo creditor modo supradicto, nedum computare debet in sortem fructus perceptos, sed etiam illos, quos ex tradita sibi re oppignorata percipere potuisset, et culpa sua non percipit, textu expresse in leg. *Creditor*, c. de Pign. action. ibi: « Creditor, qui prædium pignori nexum detinuit, fructus, quos percipit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet, » et concordat l. 2, cod. de pactis pignor. et tenet Glossa in cit. cap. *Cum contra* 6, de Pignoribus, verb. *Perceptum*; et ib. Abbas num. 9, Molina, tract. 2, de Justit. disp. 535, num. 3; Azorius part. III, lib. VII, c. 8, quæst. 2; Piringh. lib. III, Decretal. tit. 21, num. 19; Reiffenstuel. ib. n. 48, et alii communiter contra Hostiensem in Summa de pignoribus, n. 9. Et ratio est, quia fructus rei fructiferæ, æque ac ipsa res censentur, oppignorati, et constituunt cum re unum pignus; l. *Quamvis*, 3 cod. in quibus causis pignus; Molina loc. cit. num. 3; Layman lib. III, tract. 4, cap. 30, n. 8. et alii citati.

(32. Pactum antichriseos contractui pignoris adjectum (quo nempe inter creditorem, et debitorem convenitur, ut donec debitum solvatur, creditor Pignore uti, et fructus ex eo percipere valeat). (33. Est illicitum et usurarium. Communis arg., cap. *Plures clericorum* 1, et cap. *Quoniam* 4, de usuris; ubi clare deciditur, quod sit usura lucrifa-

cere fructus rei oppignoratæ, et insuper præcipitur fructus restitui, et in sortem computari. Et ratio est; quia quævis res domino suo fructificat, dominus autem Pignoris est debitor, et non creditor: l. *Pignus*; cod. de Pign. action.; mutuans enim non sit dominus Pignoris; adeoque usurarius et iniquus est, si fructus capiat ex eo, cum tales fructus percepti ex Pignore sint revera ultra sortem, ultra quam aliquid recipere ratione mutui, est proprie usura.

(34. Sic etiam in contractu Pignoris pactum legis commissoriæ (quo nempe debitor cum creditore convenit, ut si intra certum tempus debitum non fuerit solutum, Pignus dein ad creditorem pertineat; vel in solutum pro debito, vel in venditum pro certo pretio). (35. est illicitum, et usurarium, textu expresse in l. final. c. de pactis Pignorum, et lege commissor. et cap. *Significante*, 7 de Pignoribus: et ratio est, quia Pignus ordinarie est majoris valoris quam creditum; nemo enim accipit pignus minoris valoris, et æqualitas sæpe attingi non potest. Unde ad vitanda hujusmodi pericula injustitiæ, et usuræ palliatas, atque gravamina maxima debitorum, tale pactum simpliciter reprobatur.

(36. Licitum autem est pactum, quo debitor cum creditore ita paciscitur, ut si intra præfixum tempus solutio facta non fuerit, tunc Pignus creditori sit venditum pretio justo taxando, secundum æstimationem prudentis viri, reddito excessu debitori, textu expresse in leg. *Si fundus*, 16, ff. de Pignor. et communis doctorum. (37. Sic etiam justum est pactum adjectum Pignori, ut si debitor in mora solvendi sit, v. g. intra biennium non solvat, possit creditor Pignus, vel Hypothecam statim distrahere, et aliis vendere, et quod recepto pretio reliquum est supra debitum, debitori restituat; leg. *Si convenit*, 4, ff. de Pignor. action. et leg. final. § 1, cod. de Jure domin. empt. *Communis*. (38. In quo utroque casu non est opus, ut creditor debitorem de solutione prius moneat; l. *Magnam*, 12, de contrah. et commit. Stipul. et cap. *Potuit*, 4, de Locato et conducto, ibi: « Non obstante quod ei, ut canonem solveret, non exstitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellat. » (39. Si oppignoratio facta est sine pacto ullo de vendendo Pignore, vel non; tunc potest quidem creditor Pignus vendere, sed debet præmittere unam saltem monitionem, ut debitor solvat; et post hanc per biennium expectare; quo elapso, si debitor non solverit, Pignoris venditio legitima et justa sit, textu expresse in cit. leg. fin. § 1, cod. de Jure dam. empt. *Communis*. (40. Si oppignoratio facta sit cum pacto, ne vendatur, vendi nihilominus potest post biennium, sed non nisi trina monitione de solvendo prius præmissa; citat. leg. *Si convenit* 4, ff. de pign. act. *Communis*. (41. Creditor Pignus vendens non potest illud sibi ipsi emere, nequidem per interpositam personam, nisi de licentia judicis, si nullus alius vellet pretium justum etiam infimum offerre; l. *Et qui* 10. Cod. de distract. pignor.